

conventum fuerit, \*) de omni a Regno avulsione; ac ad morem aliarum Provinciarum supposito Gubernio; \*\*) memoratos Status et Ordines Regni sufficierter praecautos reddit.

*De Commissione Neo-Acquistica, pro eductione Jurium instituenda.*

**Articulus 10.**

Respectu Bonorum e Potestate Turcica Victricibus Caesareo-Regiis Armis vindicatorum et recuperatorum, ut Praetendentes et Querulantes celeriorem Justitiae administrationem, ac Jurium suorum, quae comprobare poterunt, soliditatem consequi valeant; annuente Sua Majestate. conclusum est:

§. 1. Ut soluta prae senti Diaeta, statim et indilat inchoetur et procedat, ex meris Nationalibus constans Commissio \*\*\*) intra Regnum, et quidem una pro Comitatibus Cis- et ultra-Danubianis; Pósonii: Alia vero pro Comitatibus Partium Superiorum; Cassoviae: Tertia demum pro Croatia et Sclavonia; Zagrabiae: Cum omni Authoritate et plena facultate, Causas eo duntaxat spe-ctantes, ex integro cognoscendi, finaliter decidendi et reali etiam Executioni mancipandi. †)

§. 2. Cujus muneri incumbet, formalitatem eductionis et normam illam sequi; quam Jura in talibus Casibus pro distinctione Causarum exigunt, vel admittunt.

§. 3. Pro quarum quidem Commissionum Praesidibus et Assistentibus denominantur.

§. 5. Zagrabiae demum, sub Praesidio Domini Comitis Bani, vel eo impedito; Comitis Petri Keglevich: Pro assistentibus; Praepositus Zagrabiensis: Baro Balthasar Patachich: et Protonotarius Regni cum duobus Vice-Comitibus per Praesidem eligendis: Et ex parte Camerae; Tricesimae Varasdiensis Exactor:

§. 6. Cum ea declaracione; ut in casu mortis, aut legalis absentiae Dominorum Praesidum, Sua Majestas alios denominandi; loco Assistentium vero, similiter decedentium, aut absentium; Domini Praesides alios surrogandi, ad ratificationem tamen Regiam, habebunt facultatem.

§. 7. Et, si quis ex Assistentibus interessatus esset; pro tempore, quo Causa ejus tractabitur, exesse debeat:

§. 8. Et usque ad hujus Commissionis exitum; manebunt Partes in Possessione Bonorum plena, vel simultanea, sicut ante initium Motuum proxime praeteritorum fuerunt: Illi videlicet, qui super Jure Armorum convenerunt, et conventioni effectivè satisfecerunt et Bona sua, quantumvis conscripta, ab actuali tamen Donatariorum Possessione conservaverunt; in plena: Donatarii vero Bonorum sibi collatorum, realem Possessionem et usque ad Motus continuatam, adepti; cum Regnicolis, Bona talia praetendentibus, in simultanea.

\*) Uberius declaratur et extenditur; An. 1741. a. 8.

\*\*) Allegatur et roboratur; An. 1741. a. 8.

\*\*\*) Confer; An. 1723. a. 19.

†) Sublata est haec Commissio; An. 1741. a. 21.